Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31294
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

penitentiam et post eam reposuit denarium sive dominicum
opere quod sibi pater dederat confirmato sauciato scilicet
homine iam sanato ne eum absque custode desereret ipsum
sauciatum commendavit conestabulario i. sacerdoti
curato, et dedit ei duos denarios scilicet duas claves
ecclesie que sunt discernendi scientiam ac ligandi et solven-
di potestatem ad habendum dominum/curam illius habe-
ut igitur sacerdotes qui non sunt multum in iure
canonico vel sacra theologia periti aliquam notitiam
haberent, per quam possent inter lepram et lepram
discernere, et sic penitentie salutaris ministrare medelam
In secunda parte huius operis aliqua ex diversorum docto-
rum et maiorum minorum dictis diligenti studio ut
melius et brevius ~~potui~~ potui compilavi ut si
qui neophyti et minus periti curati in foro penitentie
dubitaverint istud opusculum sit eis qualecumque
introductorium et aliquod directivum hec autem
non presumens de viribus propriis cum nulle sint
attendat. Sed confidens de clementia salvato-
ris qui bene omnia faciens surdos facit audire
et mutos loqui, unde lector mi meum affectum
considerans me lingua toxicata non mordeas
Et si aliqua invenias utilia ea attribuas soli
deo nimis autem utilia vel prorsus inutilia michi
et fraterna caritate corrigas et emendes Tractatus
primus secunde partis de penitentia in generali et habet iiii or.
De penitentia igitur tractaturus primo capitula
dicam aliqua de penitentia in generali, et postea
dicam de qualibet eius parte in speciali Capitulum
primum quid est penitentia et unde dicatur, et quot sunt
eius species Capitulum secundum de penitentia solempni